



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

De trib[us] pueris uictorib[us] in medio Babyloniae fornacis, q[uod] in eis
s[an]cta trinitas auxiliij sui p[rese]ntia[m] co[n]tra caput idolatrie
demo[n]strauerit pariter et significauerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

deo mereamur placere. Confortemur (inquam) & ut constantes simus, recordemur quid hic acciderit, quid uel qualiter in Babylone gestum sit. Primo ipsam rem gestam siue historiam sacram ponamus, & deinde mysterium ad consolationem nostri subscribamus.

¶ De tribus pueris victoribus in medio babilonice fornacis, quod in eis sancta trinitas auxilij sui presentiam contra caput idolatrie demonstrauerit pariter, et significauerit.

Caput .II.

Deut. 3
Historia trium
puerorum in
camino.



Abuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, & latitudine cubitorum sex, & iussit præconis uoce clamari. Vobis dicitur populis tribus & linguis. In hora qua audieritis sonitum tubæ & fistulæ & cytharæ, & sambucæ, & psalterij, & symphoniarum, & uniuersi generis musicorum cadentes adorare statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Hoc edictum cōtemnentes, & hanc pœnam non metuentes tres pueri Sydrach, Misach, & Abdenago, missi sunt in caminum ignis, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & ait optimatibus suis. Nonne tres uiros misimus medium ignis compeditos? Quibus respondētibz, uere rex. Ecce (inquit) ego uideo uiros quatuor solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil in eis corruptis, et spēs quarti similis est filio dei. Hoc miraculum in terra apud Nabuchodonosor ualuit, ut diceret. Signa & mirabilia fecit apud me deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius quia magna sunt, & mirabilia eius, quia fortia, & regnum eius, regnum sempiternum; & potestas eius in generatione & generatione.

Gene. 18
Negociū trinitatis
circa Iudæos, propter
nasciturum Christum

Gene. 18

¶ Hæc res gesta, restat uictoriosa, nonne tam gloriosa sanctam trinitatem in istis tribus pueris prædicat, sicut alia res gesta in tribus angelis, quos Abraham hospitio suscepit, eandem trinitatem significauerat; perpulchra & delectabilis est consideratio hæc. Si perpendas siue recogites, quia beata trinitati, & in istis tribus pueris carnis, & in illis tribus pueris angelis, unum idemque negotium fuit. Quod uel quale negotium? Nimirum istud ualde magnum negotium, & cura pergrandis, ut impleretur uerbum promissionis: illic, ut nasceretur Isaac, principium seminis uel genealogiæ nascituri Christi. Hic, ut consolationem haberet in illa captiuitate Babylonis, genus Abrahæ siue Iudæa parens nascituri eiusdem Christi. Intendebat enim diabolus per impios homines delere, ut non esset, genus illud, unde nasciturum erat hoc semen, id est, Christus: sicut Abrahæ promissum & per prophetas multos iam fuerat prædictum. Idcirco & multa signa, & hoc signum maximum fecit deus excelsus in oculis illorum, qui captiuaerant illum dei populum, ut conseruati inter gentes, tandem remitterentur filij peregrinationis illuc, ubi oportebat ex eis nasci Christum, sicut iam dudum præcinebat congratulando uox prophetica, dicens: Virgo Israhel reuertere in ciuitates tuas, usquequo dolens auerteris? Generabis dominum saluatorem.

Hiere. 3j

¶ Quomodo illi historie siue rei geste conueniant & uoces & sensus mystici psalomi centesimi trigesimali sexti: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus.

Caput .III.

Psal. 136
Iudei recordantur
Syon propter nasciturum
in Iudea Christum



Peræ precium est peruidere, quomodo huic historie siue rei geste conueniunt uoces psalmi supra memorati: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur Syon. Videbat namque spiritus propheticus iam temporibus Dauid, qui psalmum illum cecinit, futuram captiuitatem illius populi in Babylonem. De quo uidelicet populo implendam expectabant sancti promissionem, scilicet Christi natiuitatem, secundum quod dixerat deus ad Abraham, & in semine tuo benedicentur omnes gentes, & secundum quod dixerat idem deus per os Iacob. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec ueniat qui mittendus est. Secundum hæc uerba, constabat nasciturum esse Christum ex semine Abrahæ, de tribu Iuda. Vbi? Non utique in Babylone, sed in Syon siue in Hierusalem, id est, in terra cuius Metropolis erat Hierusalem, scilicet in Bethleem. Et hoc ipsum spiritus Propheticus præuiderat atque prædixerat. Ait enim idem Dauid: Ecce audiuimus eam in Ephrata. Denique Ephrata ipsa est Bethleem. Post illum, uidelicet Dauid, scriptum est per alium prophetam.

Gene. 22

Gene. 49

Psal. 136

Et tu